

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

variè tentatum confirmet, quo constanter opus Domini & Ecclesiæ ipsius urgeat, ac circa ea, quæ in absentia tua à nostris videntur commodè vel infusurrari auctibus optimi Principis, vel etiam aucter perpetrata, in ipsius absentia, excusari postea facile posse, fortiter officium suum faciat, suggesta non curando, & ne peccetur, prohibendo, iramque peccantibus minitendo. Utinam verò Illustrissimus noster vel Doctorem Kitchnerum, vel D. Philippum ad se vocet, & ipse penitus de insolentia ac tergiversationibus Academicorum ex alterutro cognoscat. Planè isti homines cogitant, nos & nostra omnia tandem, si paulatim victoriam obtineant, pedibus conculcare. DEUS illos reprimat, & nos in anxietate ac mœrore perpetuò hærentes tandem benignè respiciat & à furiis istis liberet, Amen. Versionem Epistolæ Buceri ad Comandum in manibus habeo, sed per quotidianos congressus senatus Ecclesiastici & alia negocia non celerrimè in vertendo progredior. Verti tamen jam aliquot folia, quæ D. Philippus curabit per quendam ex suis ad mundum describi, unà cum reliquis de die in diem accedentibus. Ego præsentatus quidem sum, sed de his, quæ officii mei propria sunt, nihil mihi datur, nisi quod paulatim ipse accipio, tanquam non negligendum. Dn. Lautenbachius de sui negotii successu ipse referet ad R. T. omnia, ut oportet. Hisce tuam R. CHRISTO DOMINO commendo, & felicem restitutionem sanitatis eidem præcor. Heidelbergæ, postridie Calend. Maji, Anno 80.

T. R. H.

observantiss.

Petrus Patiens.


XIV.

PER M. Florum scripsi, cui injunxi, ut præsentium latorem tibi commendaret, eo quod familiariter habeat cognitum. Ipse autem etiam tibi commendare literis volui, quia verè syncerus & mihi propter eximias virtutes vehementer charus. Benè profecit in literis, in erudienda juventute, industria valet & gratia singulari, & amanuensis operam præstare potest. Itaque spes est, posse isthic aliquo modo ei succurri, ut sustentationem habeat vel tenuem, modò suis studiis accomodam. Libuit ei vestram Academiam accedere, idque ejus institutum probavi, & quod eum commendo, nihil vereor, ne exprobrationem postmodum referam, nisi mutet mores & ingenium, qui nihil non mihi de illo promitto. Sed coràm cognosces de moribus & studiis, quæ seio approbatum iri tibi, & reliquis, quibus innotescet. Bene vale in CHRISTO JESU cum tuis omnibus, & per occasionem, quæ Heidelber-

gæ acta sint, scriptoque compræhensa, communica, bona fide recepturus.
Basileæ postridiè Calend. Maji, Anno LXXX.

T. ex animo totus

Simon Sulcerus.



XV.

Salutem in Domino Jesu Christo. Venerande

& humanissime Domine Doctor.

ESt quidam in agrò Palatinatus minister verbi, Georgius Listemannus, vir probatæ eruditionis, pietatis, zeli, & peritiæ rerum Ecclesiasticarum administrandarum. Is tertium nunc annum in quodam pago præfecturæ Dirmstadiensis, (nisi fortè Dirmstein locus ille appelletur, quem dico) hæret, & neque juvatur, in his, quæ sibi præstari hætenus petiit, neque in præfenti rerum suarum statu, uxorem ducere & œconomiam instituere potest. Cum autem nuper inviserit Dominum Johannem Kenerum Bockenheimensem, dicit se intellexisse, in vicinia illius loci, hoc est, sub Ottone & Friderico Ringrauiis, vacare conditionem honestam in Tislingen, de qua generosi Comites ad tuam R. scripserint, & mitti sibi idoneum hominem parochiæ illi præficiendum, petierint. Magno autem desiderio cupit cum Kenero & aliis suis conterraneis isthic vivere, & terra ipsa eum magnopere afficit atque ad vitam illic degendam invitat, idque eò magis, quod hic non prospicere potest in finem miseriæ suæ. Proprio igitur hinc emissio hoc tabellario, per me rogat T. R. ut, si alius idoneus ad manum non sit, sibi hunc locum designet, & se nominet Comitibus generosis. Sin jam nominatus aliquis alius sit, paratus est quiescere & desistere ab hoc suo instituto. Quod si res adhuc suspensa sit, offert se, ut quamprimum ad R. T. ipse ascendat, seque vobis sistat & judicium de se fieri sinat, cum spe promotionis. Rogo igitur T. R. ut per filium, M. Ulricum, quem his etiam humaniter salutatum volo, tribus verbis de eo mihi respondere dignetur. Novi hic nihil est, nisi quod proximè scripsi. Fertur tamen de Electore Augusto, quod præmissi ab ipso ex ditione Julii Brunsvicensis currus aliquot cum argenteis vasis & clinodiis, ab exploratoribus prædonibus in campestribus Lunenburgensibus, unà cum aurigis & equitibus viginti quatuor, capti & abducti sint, & nemo sciat, quo quisque pervenerit. Electorem territum ajunt à profectioe in Daniam, mox rediisse in terram suam, nuncque